

Nr. 20 fehlt!
11. Dez. 1954 Sc

A.
3

DISSE^TRAT^O IN AVGVRALIS MEDICA
DE
DIFFERENTIIS
NATVRARVM
RESPECTV
CLIMATVM,

QVAM
SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS
ET
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE
PRO-RECTOR^E FRIDERICIANAE MAGNIFICO
VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
DOMINO

D. ANDREA ELIA BVCHNERO,
SERENISS. AC POTENT. BORVSS. REG. CONSIL^IAR. INTIMO,
S. R. I. NOBILI, MEDIC. ET PHYS. PROF. PVBL. ORDIN. ET IMPERIAL.
ACAD. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQUE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETR^{AN}DIS

AD D. MARTII, A. S. R. MDCCXLVI.
HORIS ANTE- ET POMERIDIANIS
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR ET RESPONDENS

WERNERV^S GVLIELMVS MÜLLER,
MOSCOWIA- RVSSVS.

HALAE MAGDEBURGICAE,
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

DISSERTATIO INAGARIA MINGA

DE
MUSICA
OMNI
CIMIC

CONTRAPUNTO
PIECE

MUSICA
CHIUSO

DE
MUSICA
CHIUSO

PRO GRADUATIONE
DOMINIO CLAUDIO

DE
MUSICA
CHIUSO

DOMINIO CLAUDIO

*ILLVSTRISSIMO. EXCELLENTISSIMO
AC. EXPERIENTISSIMO.*

**DOMINO
D. HERMANNO
DE LESTOCQ**

SACRAE. CAESAREAE. MAIESTATIS. RVSSIACAE
CONSILIARIO. INTIMO. ACTVALI

M A C
PERSONAE. AVGVSTISSIMAE

MEDICO. PRIMARIO

S. R. I. COMITI

SUPREMO. RERVM. MEDICINALIVM
PER. TOTAM. RVSSIAM

DIRECTORI

DOMINO. SVO. GRATIOSISSIMO

ARTIVM

QVAE. AD. HVMANITATEM. PERTINENT

NEC. NON. EORVM

QVI

IN. IIS. COLENDIS

ASSIDVAM. PONVNT. OPERAM

OMNIVM

MAECENATI. STATORI

CONSERVATORI. AMPLIFICATORI

OPTIMO. MAXIMO

POSTERITATI. MERITO. COMMEMORANDO

HANC. DISSERTATIONEM. MEDICAM
DE
DIFFERENTIIS. NATVRARVM
RESPECTV CLIMATVM
STVDII. SVI
DE. AEGRIS. IN. POSTERV. BENE. MERENDI
SIMVL. QVE
SANCTISSIMI. OBSEQVII
AC
DEMISSISSIMAE. VENERATIONIS
NVNTIAM. ATQVE. INTERPRETEM
HVMILLIME
OFFERT. DEDICAT



AC. PROINDE
EIDEM. SANITATEM. INCORRUPTAM
VIRESQVE. SEMPER. INTEGRAS
PERPETVVM
GENTIS LESTOCQVIANAE
FLOREM. AC. INCOLVMITATEM
ET. SVIS. ET. TOTIVS. PATRIAE. REBV^S
IN SIGNITER. PROFVTVRAM
QVANTA. POTEST. MENTIS. RELIGIONE
ADPREFCATVR
TANTI. MAECENATIS

DEVOTISSIMVS. CLIENS
WERNERV^S GVLIELMV^S MÜLLER.



DISSERTATIONIS INAVGVRALIS MEDICAE,
DE
DIFFERENTIIS
NATV RAR V M
RESPECTV CLIMATVM,

PROOEMIVM.

 In constituendis morborum differentiis, illisque rite medendis, naturarum maxime constitutionem esse respiciendam, Medicus quisque lubens fatebitur. Fac enim, duos homines, qui ratione aetatis & sexus conueniunt, iisdem rebus non-naturalibus comedem-

demque modo vtuntur , sed diuersa tan-
tum partium structura & viribus sunt p rae-
diti , vno eodemque morbo confictari ,
tunc sane si non contrarium , diuersum ta-
men morbi decursum & exitum , varium
symptomatum numerum eorumque di-
uersam indolem obseruabis . Mirandum
igitur non est , quod ex omnibus iis ,
qui a celeberrimis practicis in scriptis suis
enumerati sunt , morbis , nullus eodem
plane modo , quo vnum excruciatu s est
subiectum , alterum quoque affligat , et si
haec duo subiecta sub iisdem posita sint cir-
cumstantiis , eademque gaudeant vietus
ratione . Immo nec sana subiecta vnum
eundemque vietum simili cum sanitatis ef-
fectu ferunt . Ecquis denique eiusdem
medicamenta , duabus vel tribus personis ,
non admodum a se inuicem discrepanti-
bus , eadem dosi exhibiti , diuersum non
saepissime animaduertit effectum ? Atque
haec diuersitas effectuum , quos eadem me-
dicamenta , aequali quantitate porrecta ,
in hominibus producunt , & symptoma-
tum

tum , quae cum vno eodemque morbo ,
diuersos homines affligente , coniuncta
sunt , differentia semper est eo maior ,
quo maior corporum humanorum est di-
uersitas . Erit itaque in singulorum sub-
iectorum corporibus eorumque viribus &
partium tam fluidarum mixtione , quam
solidarum tono & structura , quaerendum ,
quod hanc diuersitatem producit . Hoc
nominamus *naturam* , quam alii a primo
natiuitatis puncto robustiorem , alii debi-
liorem , alii posthaec per varios casus tur-
batam & debilitatam natii sunt .

Accedit ad hoc , quod corpora huma-
na sint machinæ , non arte , sed natura fa-
ctæ , ideoque non ut machinae artificiales
vi sua , sine aliarum rerum auxilio , opera-
tiones suas ad certum tempus exercere
possint , sed aliis rebus extra se positis opus
habeant , quibus vim suam , ad certas actio-
nes producendas aptam , conseruare pos-
sunt . Eiusmodi vero res , quae in machi-
nam agunt humanam , eiusque vim , seu
naturam , ad certas mutationes producen-

B das

das disponunt, ab antiquis Medicis iam fuerunt cognitae, & nomine *rerum non-naturalium* insignitae, vt sunt aér, cibus & potus, motus & quies, somnus & vigilia, excreta & retenta, & denique animi pathemata. Pro horum diuersa indole & pro diuersa eorundem in corpus humanum actione, diuersa ipsi conciliatur natura, & cum fieri nequeat, vt res non-naturales circa vnum subiectum eodem se habeant modo, quo circa alterum, patet exinde ratio, quomodo corporis humani natura *mutari* queat. Ponamus enim duos esse homines, in plerisque rebus sibi similes, sed quorum vnis cibis mollibus, concoctu facilibus, potu leuiori & subtiliori, aëre sereno & temperato vtitur, alter vero alimenta dura, solutioni minus apta, potum crassiorem & grauiorem adsumit, & sub aëre impuro & nebuloſo degit, & obſeruabimus miram illorum discrepantiā, tam ratione habitus corporis & temperamenti, quam ratione virium & actionum, quæ vel necessario, vel a voluntate

te peraguntur. Quum igitur rerum non-naturalium indoles & natura pro *Climatum* diuersitate ingentem in modum differat, facile exinde concludere licet, diuersas coeli plagas maximam corporibus humanis inducere mutationem, & admodum diuersam pro ratione sua ipsis conciliare naturam. Sed quid multis opus est? Experientia enim docet quotidiana, corporum humanorum, sub vno eodemque Climate degentium, naturas admodum inter se differre, hinc a minori ad maius concludere & maiorem, immo maximam eorum differentiam sub diuersis coeli plagiis constituere haud iniquum est. Adparent haec ex morbis aliis Climatibus endemiiis, quos in nostra terra incognitos, immo inauditos adpellare possumus. Exempla nobis præbent Asiaticorum ac Indorum morbi, *Beriberi*, *Moderhi*, *Schiptio*, Persarum *vena Medinensis*, Hungarorum *Thoniör* dicti, quorum nomina apud nos ferre inaudita sunt, quique raro alios, nisi indigenos, corripiunt homines. Mentio-

B 2 nem

nem horum morborum facit **Illiustris b. m.**
HOFFMANNVS, in libro germanico *de Diætетica*. Sic perniones, aliique a frigore
exorti affectus septentrionalibus familia-
res, quin immo frigoris ipsius nomen, ne-
dum effectus, in calidioribus regionibus
ignoti plane sunt. Diuersam igitur me-
dendi methodum, medicinam & diaetae
ordinationem quaevis, pro Climatis sui ge-
nicio, suo robore vel tono debili, requirit
natura; quae omnia Medicus, felicem pra-
xin adquisitus, probe attendere debet.
Neque solum haec meditatio Medicum ad
prixin prospere exercendam praeparat,
sed eiusdem etiam iudicium in auctorum
practicorum lectione maxime dirigit at-
que informat. Quum enim Graeci, Ara-
bes, Itali, Hispani, Galli, Heluetii, Ger-
mani, Belgae, Britanni, Dani, Sueci, Hun-
gari, Transyluani, de medicina scripserint:
quum quilibet horum auctorum peculia-
rem medendi methodum prescribat, mor-
bis in eius climate familiaribus adcommo-
datam, & medicamenta commendet, quae
in

in eius locis natalibus , & in hominibus
cum eo sub eodem coelo degentibus , pro-
sperum ediderunt effectum ; quis non vi-
det , quam multa & varia Medicus in mor-
borum historiis & curationibus , a peregrini-
nis atque exteris Medicis consignatis , inda-
gare prius & perpendere debeat , antequam
pro certo statuat , eorum medendi metho-
dum & remedia iis etiam aegrorum corpo-
ribus conuenire , quae cum eo sub eadem
coeli plaga viuunt . Placuit ergo mihi pe-
riculum facere , in praesenti specimine in-
augurali *naturarum differentias respectu*
climatuum indagandi , quod an recte ac de-
bite praestitum sit , benevolus Lector diiu-
dicet , erroresque forsitan commissos ut
minus rigorose interpretetur , enixe
contendo .



B 3

§. I.



§. I.

 Diuiderunt terram nostram Geographi in plagas quatuor, cardinales dictas, quibus orientis, occidentis, meridionalis ac septentrionalis nomina indiderunt, quarumque singulam in minores iterum tractus distinxerunt, varia nomina adeptos. Superficiem autem terræ circulis aequatori parallelis distribuerunt in tractus, quibus ipso solsticii aestiu die longitudo diei triginta minutorum spatio distat a proximo tractu, atque hos tractus nominarunt *Climata*, ita ut hocce nomine designetur tractus coeli, qui spatium duobus parallelis inclusum, sub quo diei longitudo ad dimidiem horam variatur. Qui plura de his desiderat, audeat Geographiae, veteris praecipue, auctores, & inter hos beatum *Christophorum CELLARIVM*.

§. II.

Medici vero ac Physici, quando de *Climatibus* loquuntur, non solum superficie terrae, & longitudinis vel breuitatis dierum rationem habent, sed omni-

omnium potius in Climate quodam existentium rerum, quatenus in homines ibidem degentes influunt, eorumque statum mutare valent. Sic primo considerant *aërem*, eiusque diuersas proprietates, in quantum nempe is temperatus, vel valde calidus, minus vel magis frigidus, siccus vel humidus, grauis vel leuis & denique purus vel impurus est; deinde eorum, quae Climatis cuiusdam terra profert, indolem & conditionem, tum vietus rationem, & vtrum homines illis, quae in eorum terris proueniunt, moderate an immoderate vtantur, ac tandem reliquarum rerum non-naturalium usum. Quae singula si quis in quodam Climate obseruat, facile incolarum quoque naturam, vtpote quae a rebus modo commemoratis dependet, determinare potest.

§. III.

Adseruimus quidem §. II. Medico, climatum diuersitatem consideraturo, multarum rerum in iisdem occurrentium rationem esse habendam; sed facile perspici potest, quasdam res necessario cum Climatis notione esse connexas, adeoque differentiam eiusdem essentiali constitutae, alias vero minus, quorsum pertinent moderata vel immoderata, qua cuiusdam Climatis incolae vtuntur, viuendi ratio, eorumque circa res non-naturales usus & abusus. Illae vero res, quae in quoouis Climate adesse videntur, vt sunt terrae cuiusdam & frumentorum, quos profert, indoles & natura, ita sunt comparatae, vt maxime ab aëre eiusque diuerso caloris gradu

16 DE DIFFERENTIIS NATVRARVM

du dependeant, & quilibet fatebitur, in quois Climate ad aëris statum maxime esse respiciendum. Quae cum ita sint, nos, aliorum Medicorum consensu nixi, non incommode Clima, in sensu strictiori sumtum, per distantiam corporum terrestrium ab aequatore, cum diuerso inde pendente caloris gradu, definiendum esse putamus.

§. IV.

Confirmat hanc nostram sententiam situs ac figura terrae, quae, cum globo similis sit, ita tamen, ut sub aequatore eleuetur paululum, paululumque circa polos depressa sit, facit, ut quaedam aequatori propria, quaedam remotiora sint corpora, id quod *distantiam* adpellamus.

§. V.

Mundus corporeus est complexus entium, vi praeditorum, tam successuorum, quam simultaneorum, inter se connexorum, (HAMBERG. *Phys. S. 6.*) & cum corpora simultanea sibi certo & determinato modo coexistere debeant, certum existentiae ordinem, quem *locum* dicimus, requirunt, qui a *vi corporum* ita dicta *centripeta* ac *centrifuga* sustinetur ac continuatur. Haec quo distinctius cognoscantur, sistema mundi totum in duos diuisum est *globos*, quorum alter *coelestis*, *terrestris* alter dicitur. Ambo linea quadam circulari, *aequator* dicta, circumscripti sunt. *Aequatoris* terrae fines *poli, arcticus & antarcticus* constituant.

Ordo

Ordo coëxistentiæ corporum facit, vt alia aequatori, alia polis sint propinquiora, vel ab illis remotiora, hoc vero vocatur *distantia*. Clima igitur est distantia corporum terrestrium ab aequatore.

§. VI.

Antiquiores iam Medici ac Physici influxum siderum & planetarum in corpora terrestria statuere, quem & hodierni, tantum non de omnibus, certum assument. De Sole vero nemo vñquam dubitauit, & in posterum dubitabit vñquam, prorsus vt omnes obuenientes in terra mutationes primario a sole deriuandas adfirment. Confer. Illustr. b. m. HOFFMANNI Dissert. de *Siderum influxu in corpora humana*, quae in *Opusc. theologico-physico-medicis extat.*

§. VII.

Sol omnia corpora illucescit ac calefacit: Corpus enim est ingneum, eiusque radii vel perpendiculariter, vel oblique in corpora terrestria incident. Si radii solares oblique in superficiem corporis cuiusdam feruntur, in maius expanduntur spatium, quam si perpendiculariter incident. Nunc notum est ex fundamentis physicis, calorem eo magis augeri, quo maior est numerus radiorum simul spatium quoddam ferentium, ideo radii solares perpendicularares maiorem excitant calorem, quam totidem obliqui. Sed haec ratio non sola est, ob quam radii Solis perpendicularares magis calefaciunt, quam obliqui: Docent enim Physici, corpus, cuius

C linea

linea directionis ad superficiem corporis alterius perpendiculariter fertur, tota sua agere vi, hinc radii Solis perpendicularares totam suam vim, obliqui vero virtutis suae partem aliquam tantum exercere possunt, adeoque cum calor eo maior sit, quo maior est particulatum ignearum vis, ideo maiorem producunt calorem. Praeterea radii Solis obliqui maius in aëre spatum transire debent, quam perpendicularares, eamque ob causam in plures aëreas particulas incident, quae eorum motui resistunt eosque reflectunt, vt pauci tantum corporis superficiem attingant. Haec itaque omnia satis superque demonstrant, radios Solis perpendicularares multo magis calefacere, quam obliquos, & Climata illis exposita maiorem sentire caloris gradum, quam quae hos excipiunt.

§. VIII.

Effectus itaque caloris, quem radii solares in corpora praestant, differentiam Climatuum praecipuam constituit, quam *essentialē* non iniuste appellare possumus. Qua demum ratione Clima in *calidum, frigidum & temperatum* dispescere licet. Eo iam respexere antiquiores Geographi, qui regionum positum in *Zonas diuidere, torridam, frigidam, & temperatam* appellatas. *Clima calidum, seu Zonam torridam,* eae faciunt regiones, quae inter duos tropicos sub $23^{\circ} 29'$ aequatoris sunt positae. Hoc, quoniam aequatori maxime vicinum & solari igni immediate expositum est, *calidissimum* voca-

vocatur. Observationibus quotidianis constat, solares radios, per specula concava Tschirnhusiana collectos ac concentratos, flammam excitare, corporaque queuis comburere. Eandem certo vim in corpora Soli maxime propinquia illos exercere soles facile concludimus. Non miramur itaque, si in Zona torrida degentes homines nudo semper corpore obambulare legimus. Notarunt insuper itinerum scriptores, Solem, quo magis aequatori adpropinquant, animantia, imo naues eleuare in altum, quare eidem vim attrahentem adscripsere.

§. IX.

Climati calido subiecta sunt Portugallia, Hispania, maxima pars Italiae vna cum insulis maris mediterranei, Graecia, plurimae ceterae partes Turciae, Arabia, Persia, India, maxima pars Chianae, imperii Mogolis, Iaponiae, vniuersa Africa, pars Americae septentrionalis & maxima pars Americae meridionalis, strictiori vero sensu omnes terrae in Zona torrida sitae. Aequator, super caput horum populorum constitutus, secat Horizontem ad angulos rectos & sol, qui inter utrumque tropicum crux tenet, in meridie incolis extra Zonam torridam certis temporibus haud ita procul super caput ascendit, in Zona vero torrida plene verticalis fit, radiosque perpendicularares proiicit, quo efficitur, ut aliqui loci a nemine penitus, aliqui vero certis anni tantum temporibus habitari possint. Sic legimus, Lybiam, vbi praeter aestum arenae multitudo

& aquarum inopia concurrit, omni incola destitui, & prouinciam Persiae Chusistan tam ingenti flagrare aestu, vt incolae eiusdem ad montes, sedibus suis relictis, confugiant. Pariter notum est, plurimis in Italiae & Hispaniae locis meridie paucissimos, vel neminem penitus in plateis & viis animaduerti. Quid? quod solis ardor, huic climati proprius, plane esset intolerabilis & terras redderet inhabitabiles, nisi a quibusdam circumstantiis mitigaretur, quae in eo consistunt, vt primo diei noctisque tempora sibi vt plurimum sint aequalia, adeoque aestus frigido nocturno aere temperetur; deinde in Zona inprimis torrida continuo venti flent, magnae aliquando vehementiae, & denique pluuiæ circa aequatorem diuersis anni temporibus satis frequentes sint, quae nimium aestum moderantur, terraque fertilitatem conciliant. Aegyptus vero, ob deficientes pluuias, hoc habet particulare, vt a Nilo singulis annis inundetur & foecundetur.

§. X.

Clima temperatum, seu Zona temperata, eum complectitur terræ tractum, qui inter circulum polarem unum unumque tropicum ultra $23^{\circ}29'$ extensus est. Hoc a Solis radiis paullo magis dispersis calefit, sed insimul quoque gradibus differt, prout reclinatio radiorum vel maior est, vel minor. Mitor iraque aestus ibi obseruatur, minus incolas molestans, & cum hyemis frigore, ast leui, per annum alternans.

§. XI.

§. XI.

Complectitur autem temperatum hoc Clima superiorem Hispaniam atque Italiam, Heluetiam, Galliam, Belgium, Angliam, Germaniam, ex parte Daniam, inferiores Sueciae & Russiae partes, plurimas Tartariae maioris & minoristerras, Borussiam, Poloniam, Bohemiam, potissimam Hungariam, in America Louisienses, nouam Hollandiam, nouam Angliam, Terram Magellanicam atque plures alios particulares populos. Omnis eorum sphaera est obliqua, vel talis, vt aequator horizontem oblique fecet, & Phoebus eos radiis obliquis illustrat atque adeo frigidum inter & aestuosum moderatum efficit aërem, ita tamen, vt terrae, quae calidis climatis propiores sunt, calidorem habeant aestatem, lenioremque hiemem, quae vero frigidis climatis magis confines sunt, vehementiorem hiemem, aestatemque minus calidam experiantur, & proprius versus septentrionem degentes incolae aliis longiores aestiu tempore dies, in hieme vero protractiores noctes peragant, atque adeo, sole super aequatorem altissime constituto, clima calidum, & remotissime infra eum luente, clima frigidum nanciscantur.

§. XII.

Clima frigidum, seu Zona frigida, a duobus circulis polaribus sub $66^{\circ} 31'$ aequatoris includitur, quodque iterum pro sua extensione in magis vel minus frigidum dividitur, ob radios solares maxime dispersos ac disseminatos, unde leuissimus modo

C 3

calor

22 DE DIFFERENTIIS NATVRARVM

calor sentitur incolaeque harum terrarum perpetua
quasi hyeme detinentur.

§. XIII.

Clima frigidum in maxima parte Russiae, Sueciae, Norwegiae, magnae Tartariae, Islandiae, Gronlandiae, Canadae, Americae septentrionalis regione, deprehenditur. Horum populorum sphaera est parallela, id est, polus super ipsorum caput constituitur, aequatorque Horizonti sensibili parallelus est. Sol per sex menses infra aequatorem, & per sex alios menses supra eundem cursum suum conficit atque adeo non multum supra horizontem adscendit, sed radiis ad latera tantummodo protensis paruo lucet calore, vnde non potest non tantum oriri frigus, vt maximam per anni partem flumina, lacus atque ipsum mare inde glacie concrecant, nec prius iterum resoluantur, quam terra Solem rursus supra horizontem per aliquot iam hebdomas adscendentem habuerit. In montibus acutis, Noua Zembla & Gronlandia, terris proxime ad Polum sitis, per totum annum montes & colles testis glaciei conuoluti cernuntur. Incolas vero ita afficit frigus, vt iter facientibus nares, digiti, aures, pedes, frigore pereant, nec cursum suum amplius promouere possint.

§. XIV.

Praeter hanc autem indicatam Climatuum differentiam, aliam adhuc faciunt aëris per omnem terram circumfusio aliaque corpora hinc inde obvia,
qui

quibus Climatum temperies variatur, quamque *accidentalem* adpellare haud iniquum erit. Aërem omnia prorsus corpora ambire, locaque explere, & in abditos ac infimos vsque terrae sinus penetrare, post tot de Vacuo disputationes, extra omnem dubitationis aleam posita res est. Hinc & aëris constitutionem diuersam, diuersas quoque corporibus inducere mutationes, aequae indubitatum est, & idcirco ad eandem sollicite attendere & Medici & Physici uno ore jubent. Aër vel calidus est, vel frigidus. Calidus differt gradu maiori, vel minori, & nominemus illum aërem valde calidum, hunc temperate calidum. Hic nostrum corpus ambiens, poros cutis aperit, materiaeque in auras abiturae exitum praebet, atque efficit, vt humores in poris contenti facilius auolent. Sanguinem quoque ipsum reliquosque humores & aërem in illis contentum aliqua ex parte expandit, quo efficitur, vt vasorum latera aliquo modo extrorsum pellantur, quae rursus sese contrahentiā, faciliorem fluidorum circuitum procurant, vnde omnes se- & excretiones, inter quas transpiratio primum locum occupat, bene succedunt. Fibrae & nerui, ex quibus machina nostra est composita, paullo magis tenduntur & ad sensum motumque exercendum redundunt aptiores. Cum vero sanitas multum ex libero actionum corporis humani exercitio dependeat, facile utique exinde intelligi potest, quantum aër temperate calidus ad illam conferat. Quod ad aërem valde calidum attinet, ille effectus in corpore hu-

humano gradu maiori diuersos edit: Sanguis nempe & humores mirum in modum expanduntur, vasa maxime distenduntur & nerui iis adiacentes, tum motorii, tum sensorii, premuntur, vnde in illis maxima ad motus exercendos inertia atque difficultas, in his vero dolor pressorius & minor ad sentendum dispositio producitur. Motus praeterea fluidorum valde intenditur, multi non solum serosi, sed optimi etiam roscidi & nutritii succi per excretiones nimium auetas consumuntur, vnde sanguis debita fluiditate privatus spissescit, nutritio minuitur, corpora graciliora & sicciora euadunt, & partes solidae exsiccantur. Accedit ad hoc, quod ob nimium globolorum sanguinis attritum multae impuritates salino-sulphureae generentur, quae singularem humorum qualitatem vitiatam inducunt.

§. XV.

Considerauimus quidem aërem calidum, sed ille iterum distingui potest in *siccum* & *humidum*. Quae circa aërem calidum & siccum adnotanda sunt, illa conueniunt cum iis, quae de aëre temperate calido diximus. Aër vero calidus & humidus simul peculiares & adhuc non recensitos edit effectus. Non enim poros solum aperit, sed fibras etiam cutis relaxat & flaccidas reddit, vnde humores facilius & maiori in quantitate e poris exeunt, & sudor in toto corpore emanare solet. Eundem quoque effectum, nimirum relaxationem, in neruis producit, vnde non ad sensum solum, sed motum etiam red-

redduntur inepti, & ratio simul patet, cur sub aëre calido & humido pigritia & torpor mentem, lassitudine vero corpus adficiat.

§. XVI.

Aér frigidus gradu maiori vel minori differt: Illum adpellare placet *valde frigidum*, hunc *temperate frigidum*, excitatque sensationem in illis, quibus cutis est intertexta, nervis, vnde pori constringuntur, transpiratio quodammodo sufflamatur, humoresque magis a peripheria ad centrum abeunt, succi vtiles & nutritii intus retinentur & hinc magnum viribus & corpori accedit incrementum. Eandem vero ob rationem, nimirum ob porrorum constrictiōnem, nerui magis tenduntur & ad motum sensationemque aptiores redduntur. Quemadmotum vero frigus omnia fluida in angustius redigit spatium, sic idem quoque aér temperate frigidus in nostri corporis humoribus praestat, eosdemque paululum condensat. Et quae modo dicta sunt de frigore moderato, illa efficit quoque frigus maiori in gradu occurrēns: Poros enim perfecte occludit, transpirationem penitus suppressit, humores ab exterioribus partibus ad interiores repellit, stases, stagnationes & profusiones sanguinis producit, vnde varia & multa oriuntur mala, quae optime recensuit solideque pertractauit Excellentiss. b. m. SCHVLZIVS, in Dissertat. de *Frigore eiusque effectibus in corpore humano*, quam plura desideranti commendamus.

D

§. XVII.

§. XVII.

Aër frigidus est vel vaporibus & exhalationibus aquosis repletus, vel non, vnde talis vel in *frigidum* & *humidum* simul, vel in *frigidum* & *siccum* iterum diuidi potest. Huius effectus quod attinet, illi conueniunt cum iis, quos recensuimus §. praecedente; aër vero *frigidus* & *humidus* ab eo adhuc differt. Solidas enim partes adficit & relaxat, earum tensionem imminuit, & transpirationem sufflaminat. Cum vero solidis partibus relaxatis circulus humorum retardetur, & se- & excretiones supprimantur, hinc non multae solum humorum impuritates in vasis colliguntur & stagnationes inducuntur, sed seri quoque aliorumque humorum secessio producitur, vnde affectus, qui a depravato se- & excretionis negotio & solidarum partium relaxatione oriuntur, exsurgunt, vt sunt febres tertianae aliaeque anomalae, diarrhoeae, dysenteriae, febres catarrhales benignae & malignae, ac petechiae.

§. XVIII.

Circa aërem consideranda quoque est eiusdem leuitas & grauitas. Per aërem grauem intelligimus illum, qui validam exserit pressionem. Hic validius corporis nostri fibras premit, easque maiori vi in fluida agendi instruit. Adparet ergo exinde ratio, cur transpiratio melius succedat, si mercurius in barometro altius adscendit, quam si descendit, & cur homines sub aëre grauiori alacriores, viuaciiores & agiliores se sentiant, quam sub aëre leui-

leuiori, vt pote qui effectus nullam aliam causam, quam transpirationem rite succendentem, agnoscit. Facile vero ex dictis simul adparet, aërem leuem diuerso plane modo suam exserere efficaciam. Transpirationem enim non adeo, quam grauis, intentit, sed efficit potius, vt fluida nostri corporis aërisque in iis contentus valde expandantur & vasa distendantur. Quod si contingit in pulmonibus, vt plerumque fieri solet, non potest non respiratio difficultis inde oriri, quoniam aér externus, ob gravitatem & inde pendentem pressionem imminutam, non sufficienter pulmones intrat eosque expandit. Eadem subest causa, cur non solum in animalibus, in vacuo constitutis, sanguis ex ore & naribus erumpat, vasa eorundem turgeant & rubore perfundantur, sed etiam cur hominibus, sub aëre leui constitutis, qualis est in montibus altioribus, sanguis ex pulmonibus, oculis, naribus & auribus prorumpat.

§. XIX.

Aér iure merito in *purum* & *impurum* dividitur. *Impurus* est, qui multis particulis heterogeneis est refertus, *purus* autem, qui nullas heterogeneas in se recondit particulas. Hic ista praecipue loca ambit, quae a vento saepius perlantur, vt sunt campestria & montana, & cum nullam, quam sanguini & humoribus communicare possit, depravatam possideat qualitatem, illum aërem sanum & loca eodem circumdata itidem salubria esse satis superque patet. Experientia hoc confirmat quotidiaria,

D 2 diana,

diana, qua edocti scimus, aegrotos, qui sub urbano
degerunt aëre, non citius a morbis, saepe admo-
dum periculosis & chronicis, fuisse restitutos, quam
si in loca se contulerint campestria. Aërem quod
attinet impurum, notandum est, particulas, quas
in se recondit, heterogeneas, variae esse indolis, vt
terreas, calcareas, salinas, salino-sulphureas, sale
caustico imprægnatas & putredinem inferentes,
adeoque varias eius species exinde emergere. Id
vero non est mirandum; effluvia enim, quae in
aërem auolant, continuo fere variant, & pro anni
tempore, tempestatum ratione & certis regionibus
diuersam habent indolem. Hoc interim certum est,
aërem in illis locis, vbi aquae stagnant, vel paludes
sunt, crebrae fiunt aquarum inundationes, & ani-
malium corpora in putredinem abeunt, eiusmodi
particulis heterogeneis esse refertum, quae praecipue
in duas commode diuidi possunt classes, qua-
rum una *effluvia putrida*, altera *sale caustico im-
prægnata* sub se comprehendit. Quantum autem
hominum sanitas ex his patiatur detrimenti, edo-
cent nos morbi maligni, qui certis anni temporibus,
certisque regionibus proprii sunt.

§. XX.

Cum diuersas aëris qualitates haetenus consi-
derauimus, & Climata aëre, quatenus calorem in
se continet, differant, §. III. atque eam ob causam
in *calidum*, *frigidum* & *temperatum* diuidantur,
§. VII. VIII. IX. hinc quisque facile ea, quae de
aëris

aëris minus vel magis calidi & frigidi in corpus humanum effectu in genere differimus, ad incolas horum trium Climatum applicare poterit.

§. XXI.

Ex haec tenus enim adductis facile concludere licet, ea omnia, quae in diuersis hisce Climatibus occurunt & producuntur, diuersam quoque inducere mutationem in ipsis corporibus variosque exferere effectus, quos specialius nunc enumerare & indagare placet, si modo ea, quae circa nostrum de *Natura* conceptum ac sensum heic loci praemittenda adhuc sunt, paucis indicauerimus.

§. XXII.

Multum de *Natura* vulgo traditur, absque tamen distincta, ne dicam adaequata vocis determinatione. Ex hac enim promiscua termini huius applicatione multae olim ortae sunt disceptationes, ac nostris adhuc temporibus multa disputantur. Et profecto hoc cum vocabulo ita fere comparatum videatur, vti cum multis aliis quotidie obviis, que sine determinatione praemissa iamiam intelliguntur. Inde contingit, vt homines ex infima plebe orti, omnique destituti scientia, multoties & saepe haud absone de natura eiusque operationibus loquantur, sine praevia determinata vocis significatione. Ne autem nimis prolixo hic procedamus, nec ambiguitas vocabuli obscuritatem dictis adferat, mittamus iam singulares illas speculationes, quas ab

30 DE DIFFERENTIIS NATVRARVM

antiquissimis temporibus eruditii de Natura protulerunt, postmodumque sollicite collegit atque digessit doctissimus SCHELHAMMERVS, in Tract. de Natura sibi & Medicis vindicata; itemque ea, quae hodie dum de Spirituum natura dicitant Psychologi, & potius ad determinandam recteque constituant corporum naturam pergitimus, quippe quae sola physicis medicisque subiecta sunt considerationibus.

§. XXIII.

Tripli cem autem in praesenti Naturae considerationem suscipiamus necesse est. Ea enim vel in vniuersum spectari, vel ad corpora quaevis extendi, vel ad homines solos applicari potest. Natura in vniuersum spectata, est complexus omnium essentiarum, facultatum, virium & modorum corporum compositionum & per eadem possibilium. Quidquid autem per has simul sumtas facultates possibile est, *naturale* dicitur.

§. XXIV.

Quodlibet corpus ex partibus certo compositum est modo, adeoque gaudet structura, quippe quae in modo compositionis consistit. Vid. Per Illustr. L. B. de wOLFF Cosmolog. general. §. 275. Omnes praeterea eiusdem mutationes fiunt motu, atque huius rationem sufficientem continet vis motrix. Cum igitur hac ratione cuiusdam corporis motus modificetur structurā, & ens compositum, cuius

cuius motus structurâ eius modificatur, sit *machina*, hinc omnia corpora machinae nomen merentur. Porro cum id sit entis natura, quod eiusdem mutationum rationem in se continet sufficientem, atque id de corporis modo compositionis, facultate, receptiuitate, vi inertiae & motrice sit praedicandum; hinc *corporum* compositionis modum, facultates, receptiuitates, vim inertiae & motricem *naturam* eorum constituere satis superque liquet.

§. XXV.

Homo ex duabus constat partibus, anima scilicet & corpore, ergo & duabus gaudet naturis. Respectu enim animae, ceu entis simplicis, competit ei natura spirituum, siue entium simplicium (*per reg. Psycholog.*); respectu vero corporis, natura corporum (§. XXIV.) ei adPLICANDA est. Ambae vero hae naturae, cum in vno homine conueniant, tertiam quasi naturam constituunt, nimirum *harmoniam*, secundum quam corporis humani motus & actiones animae representationibus accuratissime, effectiue, citissime respondent.

§. XXVI.

Mundus (§. III.) est contingens, (*per reg. metaphys.*) ergo potest mutari, ergo quoque natura in vniuersum spectata (§. XXIII.) & corporum (§. XXIV.) & hominis (§. XXV.) contingens est ac mutari potest; id quod quotidiana comprobatur experientia.

§. XXVII.



§. XXVII.

Corpora in terra nostra obuia medicoque usu
venientia, in tres iam dudum diuisa sunt classes, seu
tria regna, *animale* nempe, *minerale* ac *vegetabile*,
quibus recentiores *marinum* addiderunt. Horum
omnium naturae vario modo mutari possunt, e.g.
ratione figurae, formae, extensionis ac totius habi-
tus, vbi alia aliis perfectiora, debiliora, robustiora,
puriora &c. existunt, quae singula, si in corporibus
animatis a primo eorum ortu primaequa nutritionis
indole dependent, ad haereditariam dispositionem
Medici referunt. Omnes autem mutationum ac dif-
ferentiarum corporum modos enumerare hic nimis
longum foret & cum instituto nostro haud conue-
niret, vnde eum saltem differentiae modum, quem
respectu Climatuum subire coguntur corpora, ex-
plicabimus.

§. XXVIII.

Climata inter se differunt (§. VIII.-XIII.) simul-
que naturarum differentiam inducunt. Quod spe-
ciatim *Clima calidum* attinet, maximum corporibus
calorem & mobilitatem conciliat, & per expansiuam,
quam aëri communicat, qualitatem, reliqua quoque
corpora expandit & ad actiones promptissime sube-
vndas ea disponit. Aërem in terrae sinus penetrare,
ex physicis constat obseruationibus ac experimen-
tis. Hic a radiis solis immediatis maxime calefactus
& elasticus redditus, subter quoque terram naturas
corporum maxime mutat. Corpora sub terra lati-
tantia

tantia *regnum*. ita dictum *minerale* constituunt, quod quoad maximam partem metalla nobis offert, de quorum differentia multa apud Chymicos, praecipue vero ingeniosissimum BECHERVM, in *Physica subterranea*, prostant. Ex his in primis nobiliora illa, aurum nempe & argentum, frequentius ibidem in terrae visceribus occurunt, quorum illud ex terra subtilissima, natura sua fixissima, cum substantia mercuriali perfectissima sulphureque purissimo; hoc vero ex multa terra alba admodum quoque fixa, pauciori sulphure & paucissimo mercuriali principio composita, deprehenduntur. Calor iste, seu ignis subterraneus, pro gradu suo corporum ibi obuiorum motum adaugens, materiarum separationem, depurationem & pro conficiendis metallis purioribus intimorem mixtionem quam maxime adiuuat, adeoque mirandum haud est, cur, testantibus Itinerariorum scriptoribus, hoc in climate aurum aequum ac argentum purissimum, artificum usibus citra ullum alium laborem statim inseruiens, copiose & sat magnis saepe in frustis eruatur. Confirmant hoc quoque gemmarum, magno numero ibidem occurrentium, prouentus ac conditio, utpote quarum nullo alio in Climate tanta copia similisque materiae puritas obseruatur. Et quid terrae motus, hoc in Climate satis frequentes, montesque igniuomi aliud indicant, quam feruentem ac sulphuream telluris, a solis igne quasi accensam, indolem, omnem fere frigoris accessum excludentem, utpote quod vix quoad nomen ibidem cognitum deprehenditur.

§. XXIX.

Vegetabilia, quae hoc Clima profert & alit, naturam maxime calidam possident, vnde odorem fragrantissimum, caputque ferientem latissime spargunt, quod a succo, quo nutriuntur, acri, oleoso-resinoſo & sulphureo prouenit, cui mucilaginosum illud ac terraueum principium, quo calor maximus distemperatur, parua admodum quantitate admixtum est. Quoad texturam etiam differentia maxima adparet, vt pote quae, cum succum vehant tenuiorem ac dilutiorem, tenerior est, ramis tenuibus & paruis inprimis conspicua. Et in genere de huius Climatis arboribus, fruticibus, herbis, floribus, aliisque huc spectantibus notatur, quod magnitudinem haud admodum ingentem nanciscantur. Neque etiam ligna ibidem obuia adeo densa, firma ac solida sunt, vt ad construendas maiores domus & naues satis tuto & commode adhiberi queant. Fruetus vero illic prognati plerumque sapore admodum dulci, acrior & stimulante papillulas linguae nerueas adficiunt. Optimum de naturae istorum vegetabilium differentia testimonium exinde petimus, si transmissas ex hoc Climate herbas, plantas, arbores & vites, nostrae vel alias Climatis terrae insitas, consideramus, siquidem has communiter intra breue temporis spatium ita degenerare animaduer-timus, vt habitum haud raro externum plane omnem, quin imo colorem, ne dicam, florum speciem mutant. Exemplo prae ceteris esse possunt arbores theiferae fabisque Coffeee praegnantes, ficus,

Ana-

Ananas aliaeque plurimae, de quibus plura videantur apud rei herbariae scriptores, sub titulo de *exoticis*, maxime autem omnium apud K A E M P F E R V M in *Amoenitatibus exoticis*.

§. XXX.

Animalia in rationalia, seu homines, & bruta, haecque rursus in insecta, volatilia, quadrupeda & marina dispisci solent. Bruta quod attinet, ea hoc in Climate ferocissimae & calidissimae sunt naturae. Veteres iam iam Medici hoc tenuere axioma medicum: Qualis cibus, talis chylus, sanguis & nutritio. Hoc & hodie verum esse per experientiam abunde cognoscimus. Bruta enim in hocce Climate degentia talibus maxime herbis nutriuntur, quae sulphureis particulis abundant, adeoque, peracta plenaria resolutione & digestione, massae sanguineae similem sulphuream expansiuan qualitatem conciliant, vnde partium sanguinem constituentium vehementior intestina agitatio & rapida per vas a rotatio, vasorum accelerata systole ac diastole, solidarumque partium summa incalcentia oritur, sicque particulae sanguinis salino-sulphureae & acres ad extrema vasorum impetuose pelluntur, atque omnes fere humores, maxime autem saliuam, admodum fermentatiuos & ex albo flauos reddunt, ut idcirco, venenorum ad instar, lethiferos prorsus effectus exferant, si aliis corporibus eorumque humoribus quacunque ratione communicantur. Haud igitur mirandum est, si hoc Clima Leonibus, Tigridibus,

E 2 Leo-

Leopardis, Simiis, serpentibus venenatis, &c. mortu-
su suo maxime laudentibus, & non raro mortem in
instanti inferentibus, abundare, in omnibus fere Iti-
nerariis legimus.

§. XXXI.

Homines his in terris degentes, intuitu succi sui
alimentarii tenuis, subtilioris, calidioris, aromatici,
nutritione gaudent leuiori ac pauciori, vnde fibra-
rum tam motricium, quam aliarum musculosarum
gracilis nimiaque elasticitas, ac nervorum textura
tenuior, sensibiliorem iis statum ac tonum concili-
ans, originem dicit. Massae sanguineae particulae
magis sulphureae & expansiuae sunt, vnde rapide
sanguis per vasa circumagit, se- & excretiones
maxime intenduntur; ipsa vero cutanea vasa, cum
ob pororum nimis arctam constitutionem, cutisque
densam compagem, humores sat magna in copia eii-
cere nequeant, hinc ii ut plurimum in corpore coa-
ceruantur, & dein per aluum impetuosius eiiciuntur.
Cutis horum incolarum, cum nudo semper
corpo incedant, a calore vehementi, eos ambiente,
maxime exasperatur & ex fusco liuida redditur.
Hic quoque calor in causa est, cur capilli ipsorum
lanuginis instar molles & crisi adpareant.

§. XXXII.

Mirari quis posset, Climatis calidi incolas, ve-
hementi calore circumdatos, sudore non facile per-
fundit, vel plane eodem diffluere; sed hoc Europaeo-
rum obseruationibus extra omnem dubitationis
aleam

aleam est positum. Hi enim ad vnum omnes confirmant, homines sub Climate calido degentes baiulis suis per calidissimas arenas incedere, toto corpore, quando requiescere ipsis placet, super iis decumbere & sedere, absque eo, vt sudoris guttulam effundant, dum interim Europaeus in sua letica pensili velata vndique sudore perfusus eodem fere colliquescit; vnde hominum in istis regionibus corpora densiore magisque strictam habere cutem, satis superque patet. Hac ergo ratione efficitur quidem, vt humores minus diffentur, viresque minus cito pereant, vti sudantibus alias euenit; sed eandem quoque ob rationem permultae interius colliguntur & coaceruantur particulae salinae, sulphureae, biliosae & acres, quae non possunt non summam & variam, pro diuersa sua indole, humorum massae conciliare impuritatem. Quisquis etiam attente considerat ea, quae de eiusmodi hominum habitu corporis eiusque structura §. anteced. diximus, is facile eos *temperamento cholericō* inprimis gaudere perspiciet. Cum enim rapidus sanguinis per vasa circuitus cum hoc potissimum sit coniunctus, idque tanto maiori se exserat in gradu, quo magis sanguis sulphureis refertus est particulis & quo celerius circumagit, hinc mirandum utique haud est, quod calidi huius climatis incolas, quoniam eorum humores celerius mouentur & sulphure sat copioso scatent (§. anteced.), praedominante cholericō temperamento praeditos esse, adseramus. Et haec quoque est causa, cur animo admodum sint

E 3 fero-

feroces, immanes, truculenti, praecipites, iracundi, malitiosi ac perfidi, & plerumque corporis non adeo insignem nanciscantur proceritatem. Plura videantur apud *Guilielm. PISONEM*, de *Indiae utriusque re naturali & medica*, Lib. I. p. 12. & 13. & *Georg. M A R G R A V I V M*, *Commentar. de Brasiliens. & Chilens. indole ac lingua.*

§. XXXIII.

Huic Clматi e diametro oppositum est *frigidum*, seu *Zona frigida*, ybi omnia contrario modo se habere deprehenduntur. Diuidi autem hoc Clматa, pro extensione sua, commode potest in *magis* vel *minus frigidum*, quorum illud borealibus finibus, hoc temperato Clматi proprius accedit. Proinde etiam idem hoc Clматa in *magis* vel *minus humidum* dispescere possumus: Clматa humidum, ob ratos solis radios, lacuum, stagnorum ac fluminum copiam, aere frigido-humido & nebuloso hominibus maxime molestum est. Vapores enim terrae, seu exhalationes humidae, in aere adscendentes, nubes formant, quae dum in aere coacervantur, densiorem eum ac grauiorem reddunt, praecipue cum solis radii, oblique ad huius Clматis aereum reclinati, in illum sat magna virtute agere nubesque dissipare haud valeant, quare versus terram iterum vel sub pluiae, pruinae, grandinis, vel alia sub forma descendunt. Talis aeris status, corpora ambiens, cutim maxime relaxat & in apertos eius poros penetrat, quare humorum abundantia molesta glandulas

las obruit tunicasque tam muscularum, quam viscera-
rum replet, tonumque debilem reddit. Vegetabi-
lia huius Climatis humidi similem quoque indolem
habent, quod varii generis olera, rapae, cucu-
meres, fructus horaei, &c. testantur, quae sub
coctione multum aquae emittunt, comesta vero mul-
tas inducunt flatulentias.

§. XXXIV.

Frigidum stricte sic dictum Clima maximo fri-
goris gradu infensum est. Causam frigoris in Solis,
ut caloris & lucis genericis, absentia quaerendam
esse, Physici celeberrimi perhibent, & idcirco illud
per priuationem caloris definiunt. Comprobat hanc
sententiam Climatis huius conditio: Sol enim, ob
longissimam ab his regionibus distantiam, radios mo-
do paucos, & hos ex obliquo duntaxat, dimittit,
quorum actio a plurimis in aere obuiis nubibus ad-
huc intercipitur; vnde fit, vt per paucas modo
hebdomades caloris aliquem effectum sentiant, hy-
eme vero quasi perpetua detineantur, & ad dimidium
annum, imo per longius tempus, continuis noctis te-
nebris circumdentur, per reliquum autem anni tem-
pus pauca admodum luce fruantur. Flumina hinc,
quin imo maria, tanta glaciei densitate ac crassitie
tunc temporis sunt obducta, vt maxima onera susti-
neant, & glaciei sat magna frusta torno, pro confi-
ciendis varii generis yasis, laeuigari possint.

§. XXXV.

Talis aér, corpora ambiens, externam cutis su-
per-

perficiem coarctat, condensat asperamque reddit, vnde pori eiusdem constringuntur, vasa extrema coarctantur & occluduntur, ac humoribus per illa alias transeuntibus via & aditus paecluditur, siveque caloris motus a peripheria ad centrum magis vrgetur ac intus potius detinetur (§. XVI.). Hinc in extremis corporis partibus sensus vtcunque & motus saepissime perit, & non raro, ob stagnantes vix resolubiles sanguinis ac humorum particulias, paecipue si intensus fornacum aut immediati prorsus ignis calor illico admoueatur, superueniente gangraena & sphacelo, in plenariam corruptionem & putredinem repente ruunt, prout hoc innumera exempla & brutorum & hominum, tali ratione his in locis misere extinctorum, abunde testantur. Quin imo haud raro accidit, vt homines diutius, in aere tali commorantes, aut iter facientes, a frigore intensissimo illico trucidentur. Ab hac pororum cutis coarctatione quoque euenire credimus, quod hirsuta quaelibet animalia his in locis pilos gerant vel nigricantes, vel ad albedinem inclinantes, cuius tamen phaenomeni & alias causas non negamus. Plura de frigoris intensi in corpus humanum effectibus proferre merito dubitamus, quoniam isti admodum docte in celeberrimi b. m. SCHVLZII Dissertatione, de *Frigore eiusque in corpore humano effectibus*, pertractati fuerunt, ad quam idcirco Lectorem beneuolum merito ablegamus.

§. XXXVI.

Diximus (§. praeced.) calorem magis intus in cor-

corporum centro, quod viscera interiora constituant, detineri, & in eo etiam non sine ratione causam ponimus, quare harum terrarum incolae cibis admodum duris, carnibus plerumque animalium faltis fumoque induratis, frequenter admodum & copiose, vtantur iisque sine notabili valetudinis detrimento delecentur, vt etiam inde quadrati & carnosii euadant, cum aliorum Climatum indigenae minus non solum talia adpetant, sed & peius plerumque inde se habeant variaque incommoda persentificant. Ratio autem, cur huius Clima*tis* incolae cibos solutioni minus aptos bene digerere & perferre possint, in eo confiseré videtur, quod duriora quaelibet alimenta maiorem ventriculi fibrarum reactionem requirant, & haec sine maiori sanguinis arteriosi & liquidi neruei influxu fieri nequeat, vnde fibris ventriculi tali modo maius omnino conciliatur robur. Confirmant hanc nostram sententiam brutorum ventriculi, qui praeter calorem intus inclusum fibris firmioribus & robustioribus tonoque maiori sunt praediti, eamque ob causam cibos durissimos facilius digerere, concoquere & subigere possunt. Interim autem Clima*hoc*, intuitu salubritatis, minime aliis postponendum erit, id quod ex eo comprobatum dare annitimus: Constat nimirum, praedictum aëris statum in illo per breuissimum modo temporis spatium & vix notabiliter alterari, quare ibi locorum degentes homines ei ab incunabulis adsuefunt, vt inde vix incommoda quaedam sentiant. Insuper mediante frigore aërem ipsum puriorem

F reddi

reddi experientia constat, hinc eum, vt vt inclem-
tiorem, homines facile sustinere possunt. Consue-
tudinem hic in primis maximam, si non omnem,
absoluere paginam, quilibet nobiscum fatebitur.
Indigenae enim harum terrarum, vilioris praecipue
conditionis, infantes suos adhuc teneros aëris frigidi
iniuriis improvide satis exponunt, quo frigori tem-
pestive adsuescere discant. Imo ipsi sese frigori fa-
tis praecipitanter, & quod maximum, post sum-
mam corporis in balneis incalcentiam, tradunt,
& vix tamen ac ne vix quidem aliquid mali inde sibi
contrahunt, quod sane alii, ex aliis climatibus eo
deuenientes, absque summo valetudinis, quinimo
vitae periculo, imitari minime possunt.

§. XXXVII.

Temperatum denique *Clima*, seu *Zona tempe-
rata*, ipsa sui denominatione optimum & saluber-
imum aëris statum indicat, quod, an cum veritate
conueniat, breuibus nunc dispiciemus. Aër dici-
tur temperatus, qui nec a Solis radiis nimis calefa-
ctus & expansus, nec a frigore nimis condensatus
& grauis redditus, nec etiam particulis salinis, sul-
phureis aliisque nimis imprægnatus est, sed in quo
omnia in aequilibrio sunt posita. Eiusmodi aër cor-
pora ambiens ea uno semper modo adficit, & inspi-
ratione attractus sanguinique permixtus, circulum
eius temperat, modificatur & in aequali semper gra-
du conseruat, vnde etiam partium solidarum nutri-
tio, arteriarum & cordis systole & diastole, itemque
secre-

secretiones & excretiones, libere, moderate & aequaliter semper procedunt, animique status hilaris, vegetus ac serenus redditur. Sed aér perfecte talis an detur, alia vtique est quaestio, & maxime de eo dubitandum est. Nam ex confiniis aliorum Clima-tum particulas alias saepe nocivas eo deferri, hu-iusque Climatis statum inde turbari, nemo facile inficias ibit. Quare aërem temperatum eum non nisi statuimus, qui inter calidum, humidum & frigidum medium tenet, salubrioremque naturis inducit conditionem. Vegetabilia hoc in Climate pro-venientia, aromaticae, temperatae & medicae vir-tutis sunt. Animalia carnem mollem, succulentam & probe nutrientem praebent. Pro ratione ergo viætus homines ibi degentes succum nutritum cor-poribus suis bene adcommodatum, nec particulis alienis inquinatum, gerunt, adeoque communiter illibata ac diuturna sanitate fruuntur, simulque ad-modum grandaeui euadunt.

§. XXXVIII.

Singula autem haec praecipua Clima-ta in plura adhuc minora dividuntur, quorum fines accurate determinari nequeunt. Indicant autem ea plerum-que varii generis phaenomena, frequentius in aëre obvia, videlicet imbres, grandines, nebulae, pluiae, &c. quae per vnius vel alterius vrbis confinia, vel per prouinciam quandam solummodo exten-duntur, aliis interim intactis manentibus; mittimus autem ea lubentes & silentio praeterimus, quoniam

F 2 ipso-

ipsorum conditio ad naturarum differentiam parum
admodum, vel plane nihil confert.

§. XXXIX.

Haec de Climatum & naturarum inde pendente differentia dicta sufficient. Restat adhuc, ut brevibus indicemus, quantae in Medicina haec consideratio sit utilitatis, quam in singulis artis salutaris partibus haud leuem esse deprehendemus.

§. XL.

Physiologiam praecipue quod attinet, naturas ex his diuersis climatibus diuersa gaudentes sanitatem ea nobis sistit, vnde & ipsius sanitatis differentiae tam essentiales, quam accidentales varia sunt, & ad actiones naturales, vitales & animales subeundas diuersa promptitudo & alacritas in illis animaduertitur. Chylificationis hinc negotium in aliis citius, tardiusque in aliis absolvitur, prout fibrarum ventriculi robur, & calor in eo inclusi gradus differunt, itemque bilis conditio vel magis sulphurea & acrior, vel temperator & magis balsamica, vel spissior denique, aut aquosior existit. Hinc & ipsa sanguificationis actio diuersimode mutatur, massa que sanguineae varia oritur mixtio, & exinde motus eius tam progressiuus, quam intestinus varius, colorque vel magis vel minus rubicundus dependet. Secretiones denique & excretiones promptius in aliis, in aliis tardius eandem ob rationem succedunt. Non minus quoque partium fluidarum ad solidas varia indu-

inducitur proportio, quam dein exhalatio cutanea magis vel minus aucta immediate sequitur, cumque animae operationes & inclinationes pro corporis ratione dirigantur & modificantur, hinc quoque hominum, sub diuersis climatibus degentium, animos quoque variare satis superque liquet. Sic climatis calidi incolae sunt crudeles, animo praecipites & ad quoslibet affectus repentinae proclives. Qui vero sub frigido viuunt climate, vel minus ad affectus, vel ad tardiores tantum inclinant, animique simul fortitudine & alacritate gaudent, haecque omnia in temperati climatis incolis sunt mixta, vnde illis minorem, ceteris vero maiorem sanitatem & longaeuitatem adscribere non dubitamus.

§. XLI.

In *Pathologia* autem, praecipue generali, doctrina de Climatibus in articulo de morborum differentiis haud exiguum absoluit paginam. Haec enim cum praeter naturales consideret naturarum constitutiones, eas non uno, sed admodum diuerso modo adfici, pro ea, qua Clima quodlibet id permittit, firmitate ac debilitate, docet. Sic *Clima calidum*, ob sanguinis circulum celeriorem, solidarumque partium teneriorem texturam, tonumque magis elasticum, & genus neruosum tenerius ac sensibilius, homines maioribus & grauioribus excruciali symptomatibus, indicat, cum e contrario in *frigidiori climate* minus perniciosi minusque dolorifici & truculenti occurrant morbi. Si enim prioris cli-

46 DE DIFFERENTIIS NATVRARVM

matis incolae ex vitiis multarum cauſarum proctariticarum in morbos incidunt, tunc in primis ad impetuofißimas euacuationes cholericas, dirasque motuum peruerſiones spasmoidicas, inclinant, & habitus eorum externus vel celerrime inflatur, vel foedis ulceribus deturpatur, cum in eiusmodi corporibus magna acrīum particularum congeries continuo adsit. (§. XXXII.) Hae vero ad ventriculum & intestina congestae, euacuationem vehementi-rem sua acrimonia excitant, aut neruosis partibus adhaerentes, ad anomalous motus eas stimulant & irritant, aut ad cutim propulsae, arroden-do eam & vasa subiacentia, vlcera excludunt foetida.

§. XLII.

Frigidi autem climatis incolae, dum potissimum carnibus vescuntur salitis, fumo induratis, aliisque durioribus & solutioni minus aptis cibis, (§. XXXVI.) necessario hinc humores spissiores, tenaciores minusque mobiles, indolem acrem atque dyscrasiam scorbuticam facile induentes, obtinent, unde dein colligere licet, illos ad morbos ex humorum stasi orientes, inflammatorios praecipue, admodum inclinare. Non minus eriam morbi chronicci, qui ex spissitudine sanguinis difficilius mobilis subnascuntur, & a quotidiano viectu e longinquō trahunt originem, eandem ob causā iis erunt familiares, prout hoc experientia satis superque confirmat. Praeterea quoque modo frigori, modo calorī intenso se exponunt, & quamuis ex hac subitanēa frigoris &

& caloris mutatione notabile damnum raro patiantur, (§. XXXVI.) nihilominus tamen huic viuenti rationi in caussarum procatarcticarum numero locum denegare non possumus. Cum enim ex magno frigore in hypocausta calore pene aestuantia irruant, ii praecipue, qui solito teneroris sunt struturae, satis magnam exinde alterationem necessario percipere debent, vt mirum non sit, si, referentibus celeberrimis Practicis, multi Apoplexia, Paralysi, affectibus soporosis, vt Comate & Lethargo, inde oppressi moriantur, reliqui autem defluxiones catarrhales, inflationes oedematosas, anarcodes & asciticas experiantur.

§. XLIII.

Ipsum denique *temperatum Clima*, intuitu constitutionis suae naturalis & frequentioris aëris mutationis, variis quoque morbis occasionem præbet, non tamen vsque adeo acutis, nec ita frequenter chronicis, sicuti in calido & frigido deprehenduntur, quae differentia in caussarum diuersitate quam maxime posita esse videtur, vt pote quarum plures in humido, pauciores in frigido, vehementiores in calido, & mitiores in ipso hoc temperato occurrent. Similiter quoque naturarum differentia respectu Climatum in doctrina de signis probe attendenda est. Calidarum enim regionum incolae pulsus ordinarie fortē & celerem, quem in aliis praeternaturalē diceremus, monstrant; frigidi climatis homines segniorem & plenum; humidi tardiorem & languidū

48 DE DIFFERENTIIS NATVRARVM

guidiorem, admodumque irregularem, seu inaequalem, ostendunt. Secretiones vrinæ largiores in frigidis & humidis, parciores in temperatis, parciissimæ in calidioribus deprehenduntur regionibus, variamque & contentorum & colorum conditionem exhibent, ita, ut quae ab unius Climatis sanis emituntur incolis, respectu incolarum alterius non immrito pro morbos & praeternaturali reputanda esse videatur.

§. XLIV.

Porro specialis Pathologia morbos cuivis Clima endemios vel epidemios considerandos sistit, & quam varios in primis, pro diuerso Climatis genio, naturae differentes subire cogantur, exponit. Sic Clima calidum, ob aestuantem & expansuam aëris indolem, vietumque valde acrem, spirituofum, aromaticum, simulque sensibile & tenerum, quo homines gaudent, genus neruosum, tales maxime producit & alit morbos, qui in neruos potissimum saevitiam suam exerunt, & acutissimæ indolis sunt, adeoque citissime homines enecant. Tales praecipue sunt dirae spasmoticae contracturae, colica, dysenteria, morbus comitalis, variolæ, morbilli, nec non febres acutæ cum delirio, inflammatoriae, biliosæ, ardentissimæ, pestilentiales, &c. Horum morborum alii in aliis Climatibus rarissime occurunt & non nisi per commercia eo transferuntur; alii mitiori plerumque in gradu incolas adfligunt, quod in primis de temperato valet climate, utpote minus alias insalubri, adeoque tam ratione
vehe-

vehementiae, quam frequentiae morborum manifeste satis ab aliis se distingue. Frigidum clima, licet intuitu grauioris fereque continui frigoris, sanitati incolarum valde infensum esse videatur, vix tamen alios internos morbos, praeter febres intermittentes, pulmonum inflammations, & chronicos quosdam, a viscerum infarctu & obstructionibus oriundos, producit, magis vero externis variis laesionibus partium, a frigore praecipue inducitis & frequentius in sphacelum degenerantibus, incolis suis molestum euadit. In nullo autem alio climate frequentiores, diuturniores, grauiores & pertinaciiores morbi occurunt, quam in humido & frigido. Aëris enim status humido-frigidus corpora ad quaevis morborum genera recipienda disponit, & propter salia, quibus abundat, impuritates varias, stagnationes & obstructiones in corporibus inducit. Omnes ergo morbi a dyscrasia sanguinis ac humorum, eorumque spissitudine prouenientes, his in terris solenniores deprehenduntur. Ita scorbutus, arthritis, rheumatismi, podagra, hydrops, viscerumque obstrukções & inflammations, praecipue pulmonum, pleurae, diaphragmatis & lienis, item purpura, scabies, omnis generis febres, calculi, struma, & innumeri alii, hic sunt endemii.

§. XLV.

Quemadmodum quodlibet Clima incolas suos ad certos disponit morbos, ita in singulis illis certi

G quo-

quoque loci sibi proprios producunt affectus, quorum causas speciales Medicus vix vnguam perfecte indagabit, nisi loci rerumque in eo occurrentium indolem perfecte cognouerit. Sic homines in Carinthia, Heluetia, Rhaetia, Valesia, Pyrenaeis & Alpium montibus, colla gerunt strumis deformata, quae terrae in primis limosae, calcareae & lapidificae, qua flumina & fontes, aquam pro potu ordinario largientes, scatent, in corpore successiue coaceruatae, glandulasque colli tandem obstruenti, suam debent originem. Angliae, praecipue Londino, tabes pulmonalis, & totius corporis lenta ac foeda corruptio, cui *consumptionis* nomen imposuerunt, sunt familiaria mala, quorum generationi aer vaporibus repletus & lithantracum fumo refertus, multum velificatur. Hic enim sub inspiratione in pectoris cavitatem delatus, tenerrimas nerveo-membranaceas pulmonum vesiculas constringit sanguinisque stagnationem inducit, & hac ratione fundamentum subsequentis tandem corruptionis ulcerosae ibidem ponit. In terris ad mare Balticum sitis, ut Pomerania, Westphalia, Belgio, Dania, Suecia, Norwegia & Scania, Scorbutus ceu communis & fere inquilinus graffatur morbus, & sine dubio ab aere impuro, diaeta crassa & aqua impura originem suam dicit. In Misnia, Thuringia, Austria, Franconia, frequentiores sunt Nephritis & calculi, quoniam hae prouinciae diuini vinorum prouentu gaudent, eaque quoad maximam partem materiam in

in se recondunt calcaream & tartaream, calculo generando admodum idoneam. Hungari, itemque Itali quandoque, & prope Rhenum habitantes, ob vi- ni abusum lautamque diaetam, saepius podagra, gonagra & chiragra vexantur. Hispanis familiaris est melancholia hypochondriaca; Polonis & Lithuaniae praecipue *Plica* sic dicta *Polonica*, quae in magnitudine capillorum in cirros inexplicabiles concretorum & conglutinatorum aucta, & monstruosam speciem praebente, consistit. Horum vero malorum causa ex singulari harum gentium viuendi ratione, & rerum in earum regionibus occurrentium indole facillimo erui potest negotio. Plura vero de his morbis qui desiderat, adeat *Illust. b. m. HOFFMANNI*. Dissertationem, *de morbis certis regionibus propriis*, quae in eiusdem *Opusc. patholog. practicis* prostat.

§. XLVI.

Ob varias itaque has & diuersas, climatis singulis & naturis proprias morborum species, variam quoque singulis secundum hanc differentiam medicinam esse parandam, facillimo quisque perspiciet negotio, adeoque facile etiam ex haetenus adductis liquet, hanc doctrinam maximi quoque momenti in *Therapia* esse. Hoc iam Medicorum ille Cicero, Cornelius nempe C E L S U S, optime cognouit, & in Praefatione elegantissimi sui Libri, *dere medica*, hisce verbis indicauit: *Differunt pro natura locorum genera Medicinae*. Confirmant quoque id ipsum for-

G 2 mulae

mulae ac compositiones medicamentorum cuiusuis climatis Medicis solenniores, quae differentiam tam sat manifestam simul monstrant. Ita de calidioris climatis incolis constat, quod remedia quaelibet aromatica, opiata, narcotica, cum ambra & moscho largius remixta, optime ferant, quae aliis in climatis non nisi maxima cum circumspetione in usum vocantur. Incredibilem enim hae gentes varietatem & copiam medicamentorum ex papauere, cannabis, datura, hyoscyamis, alisque eiusmodi indolis cinnatorum, saepius & fere quotidie adsumunt, nec me magnopere erraturum esse confido, si caussam, cur ita facile eiusmodi medicamentorum frequenter ferant usum, tam consuetudini, quam dispositioni a parentibus ad natos translatae, adscribam. Possumus quoque exinde rationem reddere curationum, Graecis, Indis & Arabibus potissimum solennium, cur nimirum in omnibus morbis decocta, infusa, syrups, potionis, mixturas, aliaque huius generis creberrime adhibuerint & adhuc in usum vocare soleant: Eiusmodi enim homines humores spissos & acres, fibrasque nimis strictas gerunt, eamque ob caussam iis optime conueniunt diluentia & humectantia, quae salia infringunt acria, spissitudinem humorum emendant & fibras strictiores paululum relaxant. Eadem quoque est ratio, cur Indi, prout ex Itinerariorum scriptoribus constat, praे omnibus aliis medicamentis potionis magni faciant, quibus pulueres & pastillos aliaque diluunt & adsumunt, essentias

sentias vero & tincturas cum spiritu vini paratas minime perferre possint, ita, ut ipsi Europaei eo deuenientes, in plerisque illorum curandi methodum felici cum successu imitentur, & harum gentium plerique libentius indigenarum, quam Europaeorum Medicorum curae se committant.

§. XLVII.

Non solum autem talis medendi methodus similiaque medicamenta usum obtinent in calidissimo isto Climate, sed & in ipsis calidis Europae regionibus, ut Italia, Hispania, magna parte Galliae locum habet, siquidem ibidem vix conuenientiorem quandam deprehendunt methodum, quam veteri Galenicae simillimam, per decocta, prisanas, infusa, potiones, syrupos, Iulepos, serum lactis, fontes medicatos, Mannam, Tamarindos & oleum amygdalarum dulcium; essentias vero & tincturas nostras spirituosas plane communiter adsperrnantur, absorben-tia terrea minus ferunt, & a mercurialibus denique ac purgantibus paulo fortioribus pessime se habent.

§. XLVIII.

Humidi autem climatis incolae ad expugnandos morbos suos maxime exposcent diapnoica, dia-phoretica fixa, alexipharmacata, absorbentia, item purgantia paulo acriora & mercurialia, a quorum usu optime plerumque se habent & facilius a morbis suis liberantur. Frigidum tandem clima calidio-

ra, volatilia & spirituosa medicamenta, tinturas
 nempe & essentias concentratas, optime fert, in pri-
 mis cum & sani ibidem degentes spirituosis quam
 maxime delecentur. E contrario vero tales hume-
 tantibus & diluentibus minime tantopere indigent,
 neque illa tam bene ferunt, ac populi magis austra-
 les, quoniam corpora firma & humoribus sat copiose
 repleta possident. A purgantibus quoque, satis
 etiam drafticis, longe minus commouentur, quam
 alii, sub coelo magis calido degentes. Testatur hoc
 illustris quondam Archiater Würtembergicus, D.
Rosinus LENTILIVS, in *Miscellan. medico-pract.*
Tom. I. p. 214. exemplo Curlandorum, in quibus,
 praemissis pulueribus digestiuis, nihil vel parum ef-
 ficiebat pilulis sequentem in modum paratis: Rec.
 Gum. Sagapen. in aceto soluti & inspissati drachm. $\beta.$.
 Resin. Ialapp. scrup. 1. Mag. Gum. Gutt. gr. x. Ol.
 baccar. Iunip. gutt. 2. M. F. Pilulae pro vna dosi. Id
 circo enema applicare coactus fuit, quo facto tamen
 ultra quatuor diectiones non subsequebantur. Plu-
 ra exempla, de medicamentorum minori apud Cur-
 landos effectu, eodem loco vir doctissimus recenseret,
 quae adserunt nostrum magis adhuc confirmant.
 Idem fere in Germaniae septentrionalis incolis depre-
 hendimus: Ab iis enim tinturae & essentiae spirituo-
 sae, ipsaque purgantia & emetica, maiori in dosi ex-
 hibita, facilius & non adeo notabili cum incommodo
 perferuntur, quam ab incolis Germaniae superioris.
 Sic Angli quoque frequentius prae aliis nationibus
 cere-

cereuisis utuntur medicatis, indeque melius se se habent, quam ab infusis & decoctis aquosis.

§. XLIX.

Quoad fontem ita dictum *diaeteticum* aliae patiter regulae in calido, aliae in temperato, rursus que aliae in humido ac frigido climate obseruandae sunt. Vietus enim ratio non eadem omnibus est, nec aëris ipsius correctio, nonnullis in morbis maxime necessaria, vobis voto respondens suscipi potest. Omnino igitur huius intuitu consuetudini ac genio largiendum aliquid existimamus, adeoque prudentiae Medici periti conueniens cuivis regioni diaetae praescriptio relinquenda erit.

§. L.

Notatu certe dignum est, quod in compluribus regionibus & prouinciis eiusmodi crescant herbae taliaque inueniantur remedia, quae morbis ibidem familiaribus optime medentur, ex quo non inique ad summi rerum Creatoris sapientiam argumentari possumus, qua homines, necessariis malis obnoxios, alleuare, simulque remedia, eadem facilius & felicius profligantia, suppeditare voluit. Sic in terris, quas Scorbatus infestat, specifica subsidia & herbae antiscorbuticae, ut Cochlearia, Nasturtium, Raphanus & Sinapi, copiose crescunt. Italia, Hispania & magna pars Galliae, poma Citri, aurantia & Limonia in sat magna quantitate tanquam

quam certa & optima sanitatis tum conseruandae, tum restituendae, praesidia, profert. Lignum Guaiaci iis in locis frequentius occurrit, vbi homines malo venereo saepius laborant, & oleum Scorpionum ibi sat copiose parari potest, vbi Scorpiones ictu suo frequentissime laedunt. In regionibus septentrionalibus, vbi frigus maxime infestat, copiose sunt syluae, lignis largiter instructae, quibus accessis homines illud optime temperare possunt. Eadem scopo inseruunt quoque ferae, quas regiones ad septentrionem vergentes prae ceteris alunt: Hae enim praebent pelles hirsutas, ex quibus vestimenta, corpus a frigore defendantia, confici possunt. Nonne igitur inde patet, Deum, optimum Medicum & Creatorem, pro infinita sua benignitate & sapientia omnia ita ordinasse, ut quaevis terra, si quibus malis saepius infestetur, remedia quoque domestica, iis debellandis idonea, in promptu habeat, nec aliunde eadem operose conquerirere cogatur. Plura videantur apud BEVEROVICIVM Tr. de *Aurique Bataiae*, seu *Introduct. in Medicinam indigenam*.

§. LI.

Quoad *Chirurgiam* denique similiter remedia, climatibus ac naturis maxime accommodata, felicita & in usum vocanda sunt. Sic e.g. venae sectiones non in omnibus locis ac morbis promiscue instituendae sunt. Per experientiam de iis constat, quod crebriores in temperatis regionibus, etiam in morbis

bis acutis, suscep^tae, admodum proficuae & salutares sint, cum e contrario in humido aut frigido climate, sub iisdem circumstantiis & in similibus morbis, maiorem vt plurimum inferant noxam. Sic apud Sinenses podagra frequentissime curatur moxa, in dorso pedum accensa & combusta, quae tamen aliarum regionum podagrīcī parum vel nihil leuaminis adfert, imo quandoque malum ipsum exasperat. Ita quoque operationem quandam, *cercosin* dictam, a mulierculis Arabibus accipimus, clitoridis scilicet longioris, per vſtionem cum ferro candente, extirpationem, quam autem methodum in nostratis, aut aliorum climatum foeminis, vix vnquam requiri, multo minus admitti, nouimus. Non minus etiam alii adhuc sunt affectus externi, cuivis climati proprii, qui cū curationibus suis in aliis terris rarius vel nunquam plane occurrunt, e. g. viperarum, serpentum & Tarantularum morsus & iectus, itemque perniones & horum apud septentrionales curatio. Interim tamen Medici & Chirurgi multum interest, haec omnia probe perspecta atque cognita habere, ne forsitan in curandis aliquando talibus morbis famam, operam & otium in periculum adducant, aut plane perdant. Et haec potissima sunt, quae de *naturarum, respectu Climatum, differentiis* benevoli Lectoris diiudicationi submittere placuit.

Deo autem pro clementissime praestito
auxilio sit

LAVS, HONOR ET GLORIA.

H NOBI-

NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO,
S. P. D.
P R A E S E S.



Venadmodum duae ad cuiusvis veritatis cognitionem perueniendi dantur viae, ratio nimirum & experientia; ita eadem in primis sunt sola, quibus medicina innititur, fundamenta. Id quidem omnes, qui vel primis labris salutarem degustarunt disciplinam, optime norunt, sed pauci, immo paucissimi, ratione & experientia rite utendi cognitione sunt instructi. Non in huius ignorantiae causas nunc inquiram, vt pote quod hic loci nimis longum foret, nec meo responderet proposito; hoc tamen silentio praeterire non possum, rationem ab experientia & hanc ab illa separatam, vel vtrasque illegitimo modo adhibitas, medicinae eiusque incremento plus damni, quam utilitatis adferre. Experientia enim sola nobis non nisi historicam rerum & effectuum, in corporibus humanis contingentium, sufficit cognitionem, atque haec non ab ipso tantum vulgo facile acquiri potest, sed plane etiam inutilis

tilis & errorum plena est, nisi accedat ratio. Hanc
veritatem HIPPOCRATES iam suo tempore opti-
me perspectam habuit & cognitam. Hic enim, Me-
dicus ut sit Philosophus, postulauit, & veteres non
inique medicinam philosophiae sororem adpellarunt.
Quid vero est Philosophus? Nonne is, qui veras re-
rum reddere potest rationes? Quomodo autem quis
hoc praefare valet, nisi animi facultates in verita-
tum cognitione, tum rationis, tum experientiae ope
acquirenda, exercuerit? Clarius haec omnia ex T V O,
DOCTISSIME CANDIDATE, quod in hac
ce Dissertatione pertractasti, patent argumento. Ex-
perientia enim satis superque corporum & natura-
rum pro climatibus diuersitatem testatur; sed quid
haec iuuaret cognitio, nisi rationis beneficio explicare-
tur, ego saltem perspicere non possum. Optime hoc
a TE, CLARISSIME CANDIDATE, fa-
ctum est in T V O specimine inaugurali, in quo non
corporum solum differentiam pro locorum diuersi-
tate variam, ostendisti, sed eiusdem etiam rationes,
ex circumstantiis circa haec corpora occurrentibus
desuntas, subiunxisti. Tradidisti mibi T V A M hu-
ius thematis elaborationem, antequam prelo commit-
teretur, perlegendam & emendandam, sed parum
in illa mutavi & potius admodum delectatus fui,
cum sub eius perlustratione deprehenderem, T E
omnia T V A asserta ex principiis physicis & me-
chanicis demonstrasse. Neque aliter fieri potuit, quin
scientiam medicinae solidam & mechanicis principiis
superstructam T I B I facile comparaueris. Per sex
enim, & quod excurrit, annos in hac Academia es-

commoratus, nec illotis, uti vulgo fieri solet, manibus ad medicinam accessisti, sed illam, philosophicis & mathematicis disciplinis antea probe imbutus, ad sidue tractasti. Ab eo etiam, quo mihi innovisti, tempore, non ex sermonibus solum, quos Tecum de rebus ad doctrinam & praecipue ad rem medicam spectantibus contuli, & in duobus, quae cum laude sustinuisti, examinibus, egregios TVOS perspexi profectus, sed singulari etiam modestia morumque probitate ornatum TE semper deprehendi. Non possum itaque non TIBI de felici vitae TVAE academicae exitu & de honoribus in arte medica summis, tanquam legitimis TVAE diligentiae praemiis, gratulari. Deus TE saluum & incolunem patriae TVAE & parentibus reddat, omnia, quae conaberis, felici successu fortunet, TE que in patriae commune bonum, TVORVM laetitiam & aegrotorum emolumentum omni prosperitatis genere affluentem reddit & conseruet. Ego vero, si quid ex meo studio in TVVM commodum proficiisci poterit, paratiissimum me fore policeor. Dabam Hale Magd.
d. VI. April. MDCCXLVI.



Quum

CLARISSIMO ET DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO,

S. P. D.

IOHANNES HENRICVS DENCKER,

M. C. Opponens.

Qum clima boreale ceteris praestantius affirmare, auritos forteam faciam eos, qui coelum frigidum insensum, sub eoque natos rudes utique ac Barbaros, seque solos emuncti naris iudicant. Cecidit autem, quod optimum est, sconma illud cum autoribus suis iam diu in profundum, & tot millia exemplorum in contrarium absurditatem eius propalant. Moralia iam linquens medice loquar. Clima boreale, mutationum aëris crebriorum fere nescium, corpora pendentes ab hinc repentinis mutationes subire haud cogit. Cessante autem hac tempestatum vicissitudine constans magis & aequalis constituitur aëris motitatio & circa corpora circumfusio, aequalis in corpora actio. Hinc aequalis cutis constrictio & relaxatio vicunque continuatur & conseruatur. Firmior itaque & constantior sanitatis status & duratio efficitur. Experientia ipsa loquitur. Haec homines tali plaga progenitos robustiores, saniores, imo quadratos nobis sicut, ac medicina vix alia indigentes, nisi forte chirurgica, & quae digestionem conservat. Consentientes mecum habeo VERVLAMIVM libr. de Vita & morte, & MEIBOMIVM in Epistola de Longaevis, qui longaeuitatis facultatem frigori adscribunt. Hic praeterea locorum nec anguis infestus in herbis latitat, nec scorpionis morsus lethala facit vulnera, nec ta-

rantula choreas agere inconfuetas & inuoluntarias
cogit, nec venenatae speluncae halitum spirant pesti-
lentialem ac lethiferum. Et quae huius generis
sexcenta alia sunt aliis in regionibus mala endemia,
huc haud reperiunda. Ast ulteriorem disquisitionem
institutum prohibet. Gaudeas, PRAENOBILIS-
SIME ac DOCTISSIME DOMINE DO-
CTOR ANDE, TE tali ortum solo, quod cum
reliquis de salubritate coeli contendere potest, cuiusque
praefrantiam & scripto & exemplo comprobas.
Doctorales TIBI ex merito conferendos honores ex
animo gratulor, uberrimosque exinde fluentes in-
dies novos & honorificos fructus sincere appreco.
TVO me interim ulteriori fauori & amori com-
mendo. Dab. Halae Saxonum, d. VI. April. A. R. S.
MDCCXXXVI.

GReund! ich wünsche Dir zum Siege Glücke.
GOrbeer-Zweige bringest Du zurücke
Die Hygea, weil Du wohl gerungen
Um Dich geschlungen.
Geh' und brauche die erworbnen Schäze,
Dass der Würger nicht ein Herz verleze
Dem der Beystand Deiner Kunst das Leben
Wiedergegeben.
Vieler Vorrath ist vor uns verstecket,
Den der Alerzte schlauer Fleiß entdecket.
Uns verschaffet die Natur der Säfte
Heilsame Kräfte.
Straffe, sprach sie, Aleculap, den Räuber
Der der Menschen abgezehrte Leiber
In der Gräber finstre Wohnung schicket,
Und sie zerstücket.

Ott

GOTT der Arzte, meine volle Kammer
Schafft das Mittel, das im letzten Jammer
Wenn das Leben mit dem Tode streitet
Hülfe bereitet.
Fahr als Rächer in die Höll herunter
Die Entschlafnen mache wieder munter.
Und der Nachen, der den Maub verschlungen
Werde bezwungen.
O zerschmettre den vergiffen Bogen,
Und die Beute werde dem entzogen,
Dessen Sichel alles Fleisch zerpalter,
Wenn es erkaltet.
Große Wunder bringest Du zu Stande,
Denn dem Kerker und geschwärztem Bande,
Die der Schatten bleichen Gast beschweren
Weist Du zu wehren.
Selbst ein Unwill wird den Zeus bewegen,
Dass ein Todter auf verbohnien Wegen
Zu dem Lichte, dass ihm doch benommen,
Wiedergekommen.
Freund! Dir öffne die Natur die Thüren,
Die Dich näher in die Werkstatt führen:
Bis die Ehre wie im Lenze grünnet
Die Du verdienet.

Carl Ludwig L'Estocq,
ein Danziger, der Arzney-Kunst Besflissener.

Quo ferar in tanto de te, Laudande, sororum
Concentu? sileam Musa quiete fruens?
An potius surgam, somnum procul esse iubente
Tempore, quo pietas vota paranda tult?

Mitte.



Mittere quid dubitas, stimulis commota, quietem?
Surge! quid impedihas hoc pietatis opus?
Lætus abit patrias, ex hoc certamine viator,
Ad sedes; votis hunc comitare piis.
Huc ades! o venias! pateant his vocibus aures!
Adsum, quis tali surgere luce vetet?
Qui quondam sitiens Hallenses venit ad vndas,
Has, tinctus, sanctas ille valere iubet.
Quid faciam? lacrumans sortem toleraret Ocellus?
Hoc pudet, hoc signum non valer esse viri.
Quid mutem? tacitus, quæ non mutanda, recondam
Pectore sub forti, quod patientis erit.
Miror, quam cunctis, sollerter, rebus, Amice,
Iungere cœpisti, non sine laude, manum.
Miror & eximia, scopulos, qua mente, salutis
Riseris interitum, non sine fraude, melos.
Miror, quis vetuit? quam fido corde probares
Singula, quam velles dicta probata sequi.
Nec minus admiror specimen, quod mittis, Amice,
Quodque T V V M læro fine coronat opus.
Sic tandem dulci curas solamine vincis,
Sic superos scandit Musa, per arcta, gradus.
Sic T I B I felices felici de arbore fructus
Surgunt, quos hilari carpere fronte queas.
Sic T I B I, qui splendent, veniunt ex Marte triumphi,
Quos nec inuidiae laude carere dabis.
Hinc ego, dum vitæ sparget per membra calorem
Cor, te, victorem semper amare volo.

I. H. WIPPERT,
Pernavia-Liuonus, SS.Th.C.



Was ieko meinen Trieb zum Dichten
Belebet, reizet und erhält,
Ist, Freund, das Ziel von meinen Pflichten,
Dein Wohl, worauf mein Wünschen fällt.
Die Pflicht ist Dir, o Freundschaft, eigen;
Ein Recht, das wahre Freunde ziert:
Drum tadelst sie auch jetzt mein Schweigen,
Warum? weil mich Dein Zustand röhrt.

Glaub', daß die Würckung meiner Triebe
Aus Deinem eignen Werthe quillt,
Das keine Kunst erzwungner Liebe,
Nein, Warheit iede Regung bildt:
Du kennst nicht blos nur die NATUREN,
Wie sie die Gegend unterscheidt;
Dein WISZ entdeckt auch leicht die Spuren
Der abgewichnen Redlichkeit.

Was liebt man mehr an Fremden Orten?
Ists nicht ein wohlgesinnter Freund?
Ein Freund, der so bewerth in Worten
Wie in dem Herzen treu erscheint.
Soll hier Dein Lob mein Zeugniß mehren?
Doch tadle nicht, die Muse schweigt,
Da ieder, der Dich liebt, zu Ehren,
Sein Recht des Beifalls schätzt und zeigt.
Und wem gelingt nicht diese Probe?
Ein ieder kennt die Freundschafts Treu,
Und füget, irr ich mich? dem Lobe
Zugleich ein Recht zu klagen ben;

J

Go

So iſt's. Doch frage nicht von ihnen,
Was sie zur Traurigkeit entführt?
Die Antwort läßt aus ihren Mienen.
Wer iſt's, den nicht Dein Abschied röhrt?

Du kamst aus einer weiten Gegend
Und wählst die Wissenschaft zum Ziel;
Hygeens Reiz war es vermögend,
Worauf Dein Blick mit Vorzug fiel;
Du warbst um ihre Kunst und Lehre:
Das letzte zeiget Deine Schrift,
Ein Beispiel ihrer Kunst, die Ehre,
So heute Deine Scheitel trifft.

Dies Zeugniß, das mein Aug mir giebet,
Belebet, Freund, auch meine Brust,
Und wenn mein Kiel die Pflichten übet;
Giebt ihm Dein Werth so Kraft als Lust.
Wer wolte Dirs nicht gerne gönnen
Wenn stets im Wohl Dein Zustand blüht:
Das beste, was wir wünschen können,
Ist ein zufriedenes Gemüth.

Dem steht schon ferne Ehre offen,
Der selbst durch Fleiß die Bahne bricht,
Und mehr, wie ein gemeines hoffen,
Von seinem künftgen Glück verspricht,
Hier ruf ich nicht mit bangen Zagen
O wäre die Erfüllung nah!
Genug, kön' ich das Schicksal fragen,
Es sprach zu meinem Wunsche, Ja!

Du

Du eilst -- mich soll Dein Abschied kränken,
Wohin Dich Glück und Ehre ruft,
Doch es begleitt mein Angedenken,
Dich auch in die entfernte Lust.
O könnt ich Dir noch mehr verpfänden!
Mein ganzes Herz öfnet sich --
Die Feder fällt mir aus den Händen,
Freund, lebe wohl und denk an mich!

Justus Joh. Haltermann,

L. L. C. Riga-Liuonus.

SDie Freundschaft selber stimmt mein schwaches Säyten-Spiel
Und billigt den Trieb bey Deiner Würd zu singen!
Doch was verrückt so schnell mein vorgesetztes Ziel?
Die Furcht, Geschätzter Freund, es möchte nicht gelingen.
So würdig auch Dein Lob, zu dem ich mich gewöne,
Gibt mein erhiarter Trieb doch selbst der Schwäche nach;
Raum prüfte ich den Klang der angegeb'nen Töne,
War iener ohne Reiz, wie diese viel zu schwach
Und meine Muse schwieg. So wenig auch mein Schweigen
Dem Beyfall, den dein Fleiß erwirbet, was benimit.
Von eignem Werthe kan auch eigne Ehre zeugen:
Es ist Dir heute ja der Doctor-Hut bestimt?
Ich wünsche Glück dazu. Auf kluger Aerzte Lehren
Beruht, nebst eignem Ruhm, der Patienten Heil;
Ich wünsche, daß Dein Fleiß sie beyde mag vermehren,
Wird mir bey Deinem Glück nur Deine Kunst zu Theil.

Nicolaus Haltermann,

M. C. Riga-Liuonus.

Die



Gre Einsicht schärfst der Fleiß, den Fleiß holohnt die Ehre.
O Musen! macht dies nicht euch eure Schüler treu?
Ja, ja, Geschätzter Freund, Dein Beispiel dient zur Lehre,
Die Würde, so Dich ziert, pflicht meinem Sache bey
Und röhrt mich. Soll die Pflicht von dieser Rührung zeugen;
So schlüsse sie ein Bunsch in kurzen Worten ein!
Der Wachsthum Deines Glücks mag mit der Ehre steigen,
Und künftiger Krancken Wohl der Einsicht Zeuge seyn.
Nimm, Hochgeehrster Freund, von meinen Neigungs-
Pflichten,
Die ich Dir schuldig bin, den schlechten Abtrag hin:
Die Muse gönt mir nicht die Kunst geschickt zu dichten,
Doch glaube, daß ich stets zu Deinem Dienste bin.


Christophorus Kessler,
J. St. Riga-Liuonus.



01 A 6597



Farbkarte #13



3
HO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
FERENTIIS
VRARVM
ESPECTV
MATVM,

QVAM
SPICIIS SVMMI NVMINIS
ET
ATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE
E FRIDERICIANAE MAGNIFICO
XCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
DOMINO

A ELIA BVCHNERO,
NT. BORVSS. REG. CONSILIA. INTIMO,
ET PHYS. PROF. PVBL. ORDIN. ET IMPERIAL.
NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE,

RADV DOCTORIS
DICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
ALIBVS LEGITIME IMPETR ANDIS

MARTII, A. S. R. MDCCXLVI.
SANTE - ET POMERIDIANIS
PVBLICE DEFENDET
VCTOR ET RESPONDENS

GVILIELMVS MÜLLER,
MSCOVIA- RVSSVS.

AE MAGDEBURGICAE,
ISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.